



100/11

S. 6. 149

theol.

N. B. 3.

Theologie

~~P. 262~~

O. vi. 245. b. 518.

3
JACOBUS BENIGNUS BOSSUETUS,
EPISCOPUS OLIM MELDENSIS GALLUS,
UBI IN LIBRO

DE
**VARIATIONIBUS
ECCLESIARUM PROTE-
STANTIUM**

GENERALE HOC PRÆJUDICIUM CONTRA PROTESTANTES
URSIT,
REM ACU PLANE NON TETIGIT,
NEC VIDIT, MANTICÆ QUOD IN TERGO EST.

DISSERTATIONEM HANC POLEMICAM
SUB PRÆSIDIO

VIRI MAGNIFICI REVERENDISSIMIQUE,
DOMINI

**CHRISTOPHORI MATTHÆI
PFAFFII,**

S. THEOL. DOCT. ET PROF. PUBL. PRIMARIJ,
ACADEMIÆ TÜBINGENSIS CANCELLARIJ
ET ECCLESIAE PRÆPOSITI

atque hoc ipso tempore **RECTORIS**

AD DIEM JULII MDCCXX. DEFENDET

JOANNES CONRADUS BECK, Gœppingensis,
Philosophiæ Magister & sacrarum literarum in Ill. Stipendio
Studiofus.

TÜBINGÆ, literis JOSEPHI SIGMUNDI.

COPIE L'INOMNIS BOSSNETUS
ET NOSTRI OLIVIERI DEUS GLORIA
CANTANTIS
VARIATA IONIBLIS
EGGENTIAM PROTE
STANTUM
OMNIA II HOC ERUNT IN OMNIA IONIBLIS
IUS
IN NOSTRI DEUS GLORIA
HOC VITAE MENTIS DEUS GLORIA
DEUS GLORIA DEUS GLORIA
CHRISTUS IONIBLIS
DEUS GLORIA DEUS GLORIA
DEUS GLORIA DEUS GLORIA
DEUS GLORIA DEUS GLORIA
DEUS GLORIA DEUS GLORIA
DEUS GLORIA DEUS GLORIA
DEUS GLORIA DEUS GLORIA





ANTECESSIO.



U^t controversas, quæ cum Ecclesiâ Româ-
nâ Protestantibus intercedunt, à limine
saltem salutaverit modernumque earun-
dem situm resque ab utraque parte recen-
tissime gestas hand penitus ignoraverit,
eum latere haud potest, inter præstantis-
simos, quæ Ecclesiâ Romanâ hæcenus ga-
visa est, Athletas suo quodam præcipuo
jure primum sibi locum vindicare JACO-
BUM BENIGNUM BOSSUETUM, Episcopum Gallum, primo Con-
domiensem, postea Meldensem. (a) Et profecto tanti ingenii
tanta

tantæ eruditionis, tantæ eloquentiæ Vir hic existit, ut non sine ratione de ipso jam alibi (b) pronunciaverimus, certum esse, quòd, Romana

si Pergama dextrâ
defendi possent, sanè hæc defensa fuissent.

Inter eos verò libros, quos contra Protestantés edidit & in quibus causam Ecclesiæ Romanæ defendere conatus est, palmam ferè cæteris præripit Historia variationum Ecclesiarum Protestantium; (c) in quâ ex eo capite Protestantium Ecclesiarum falsitatem demonstrare annittitur, quòd in fide suâ suisque in symbolis ritibus variaverint semelque statuta, ubi dein aliter visum, subinde reflexerint atque immutaverint. Nec sanè speciem suam hæc obiectio caret. Cum enim veritas simplex sit atque immutabilis semperque sibi constet, facillè patet, nullam eam variationem, nullas mutationes admittere nec in mille formas abire, quæ è contrario certissimum mendacii documentum sunt. Et verò variâsse in fide Protestantés tot documentis authenticis probâsse sibi visus est BOSSUETUS, ut triumphum statim sub initium libri cecinerit. His quoque artibus, eo eruditionis adparatu, eo dictionis Gallicæ flore omnia hæc elata exstant, ut lectorum, qui reformationis historiam Ecclesiarumque Protestantium origines hand satis solidè norunt iudicioque acri hand pollent, animi facillè capiuntur & in transversum rapiantur. Quâ re utique Theologis Protestantibus necessitas fuit imposta, ut opus, quo rebus suis periculum adferri hand difficulter agnoscere poterant, strictis calamis atque magnâ operâ resellerent. Præcipuus, qui in campum hunc polemicum processit & quo hucusque non fuit præstantior alter, est Theologus Hagienfis longè excellentissimus & cuius amicitia summo nobis in pretio est, JACOBUS BASNAGIUS, qui pari ingenii & dictionis & eruditionis flore cum BOSSUETO decertavit, in hoc ferè solo ipsi præferendus, quòd veritatem pro se pugnantem habuit &

majo-

maiores, quam quâ BOSSUETUS usus est, attentionem rebus suis attulit tamque politam ubique dictionem adhibuit, ut in genere polemico nihil haecenus scriptum fuerit, quod huic facti Basnagiano aequari possit. (d) Nec tamen solus fuit BASNAGIUS, qui BOSSUETUM refutaret, cum idem stadium ingressi quoque fuerint PETRVS JVRÆVS (e), GILBERTVS BURNETVS (f), PETRVS ALLIXVS (g), JO. BAPTISTA RENOVLTIVS (h), BASNAGIVS BELLOVALLIVS (i), DAN. SEVERINVS SCVLTIIVS (k) & JO. HENR. MAJVS. (l) Neque siluit quoque BOSSUETUS, sed tum JVRÆO, (m) tum BASNAGIO (n) quaedam reposuit, prout & BURNETO regesta aliqua à D. LE GRAND, defensore BOSSUETI fuere. (o) Quae ipsa licet ita sese habeant, nondum tamen penitus omnia ista diluta fuere, quae Protestantibus is objecit. Quamvis enim ea, quae Reformatos spectant, satis superque BASNAGIVS è verò refutaverit, ea tamen, quae nos, qui Augustanam Confessionem sequimur, spectant, nondum prorsus subrata, saltem datâ operâ nondum à quoquam sub examen vocata fuere. (p) Et verò constitueramus, bono cum Deo dissertationes Anti-Bossuetianas edere, quemadmodum praeerito anno dissertationes Anti-Belianas edidimus. Nec profectò à proposito hoc discessimus, nisi sacces academici nobis concediti tempus nostrum plurimum coarctassent. Sufficiat itaque nobis, in libello hoc, quem jam condimus, academico generales quasdam observationes dedisse, quas qui probe imbiberit, fraudes in libello Bossuetiano latentes faciliè perspexerit clavemque ad omnia diluenda & refutanda sic sibi comparaverit. Rem, aegedum, qua difficilis haud est, forti ausu adgrediamur.

(a) Vitam BOSSUETI dedere tum Jesuitae Parisini in recensionibus Trivoliensibus 1704. Nov. Art. 170. p. 1904. sqq. ubi recensetur oratio funebris in obitum Bossueti à P. de la Rue S. J. habita, tum L. Ellics du Pin in Bibl. des Auteurs Eccles. T. 18. p. 158. sqq. Cate-
rum

rum & hi Autores BOSSUETI scripta recensent, quæ verò & in actis diariisque & recensionebus literariis eruditorum passim enarrata videas. Quin & addi meretur libellus Gallicus, qui titulum fert: *Memoires anecdotes de la Cour & du Clergé de France par le Sieur Jean Baptiste Denis, ci-devant Secrétaire de M. l' Evêque de Meaux* p. 108. sqq.

(b) In programm. 2. quod introd. in hist. Theol. literar. adjectum est, p. 418.

(c) *Histoire des variations des Eglises Protestantes* par Messire Jacques Benigne Bossuet, Evêque de Meaux Tomes 2. Prima editio prodit in 4. Parisiis A. 1688. Secunda ibidem in eadem formâ A. 1689. lucem vidit. Successerunt duæ editiones in Belgio impressæ in 12. At verò editiones Belgicæ mendis haud carent. Cæterum decem annos libri hujus scriptioni BOSSUETUM impendisse BASNAGIUS sub initium præfationis in *Historiam Ecclesiæ* memorat. Non autem novum planè est hoc BOSSUETI institutum, hæc Protestantes adgre-diendi methodus, etsi à nemine tantoper ac à BOSSUETO ex-culta fuerit.

(d) Liber Basnagianus hunc titulum fert: *Histoire de l' Eglise depuis Jesus-Christ jusqu' à present.* à Rotterdam 1699. fol. 2. Vol. At ve-rò pars quarta maximè est hujus libri, quæ adversus BOSSUETUM agit, L. 24. & sqq. Cæterum alium primum titulum, aliud nomen factus hic gesserat.

(e) Vide ejus *lettres pastorales.*

(f) Vide ejus *Critique de l' histoire des variations des Eglises Protes-tantes*, traduite de l' Anglois. Amsterdam 1689. 12. & adde *Acta erud.* 1690. p. 276. sqq.

(g) Vide ejus *some remarks upon the history of the ancient Churches of Piedmont.* London. 1692. 4. & adde *acta erud.* 1691. p. 254. Scilicet heic L. XI. *historiæ Bossuetianæ* refellitur.

(h) Etenim habetur *histoire des variations de l' Eglise Gallicane en forme des lettres écrites à Mr. de Meaux pour servir de reponse par voye de recrimination à son livre des variations des Protestans. Ouvrage, où l' on fait voir les principaux changemens qui sont arrivés en France en*

ce en

ce en matière de Religion depuis S. Irenée. Evêque de Lion dans le second siècle jusq' au regne de Louis XIV. par J. B. Renoult. Amsterdam. 1702. 12. Addi potest J. A. TURRETTINI Pyrrhonismus Pontificius sive theses historico-Theologicae de variationibus Ecclesiae Romanae. Lugduni Batav. 1691. 2. Partes.

- (i) Vide recensioem libri Bossuetiani in histoire des ouvrages des Savans.
- (k) In hypotyposi errorum Romanae Ecclesiae ad J. Bossueti historiam variat. Jenæ 1704. 8.
- (l) Vide constantem & invariata confessionem fidei Ecclesiarum Augustanae Confessioni addictarum contra J. B. Bossueti, Meldensis Episcopi tractatum nuper admodum editum inscripumque: histoire des variations des Eglises Protestantes, in selectiorum exercitationum Theologicarum & Exegeticarum T. 2. n. 5. p. 235. sqq.
- (m) Avertissement aux Protestans sur les lettres du Ministre Jurieu contre l'histoire des variations par Messire Bossuet 2. Vol. 12. à Liège 1710. Aliis Parisiis impressa habentur hæc monita ad Protestantes A. 1689. 1690. 4. Jam & exstat lettre de M. l' Abbé de Cordemoy aux nouveaux Catholiques de l' Isle d' Arvert en Saintonge, où il repond aux deux premières lettres que le Ministre Jurieu a écrites contre l'histoire des variations des Eglises Protestantes. Paris 1689. 4.
- (n) Vide defensa de l'histoire des variations contre la reponse de Mr. Basnage, Ministre de Rotterdam. à Paris 1701. Habetur & nova editio Insulana 1701. 8.
- (o) Vide la lettre de Mr. le Grand à M. Burnet touchant l'histoire des variations & l'histoire du divorce de Henry VIII. 12.
- (p) Teuigit tamen quædam in historia Lutheranismi VITUS LUDOV. SECKENDORFIUS.

Obser-

Observatio prima.

EA disputandi methodus, quâ variatio sententiæ tanquàm falsitatis & mendacii criterium dissentienti objicitur, longè est ineptissima atque recalcitrante saniore judicio adhibetur. *

* Non est, quod thesîn hanc prolixè probemus, quæ suâ luce radiat. Scilicet, qui præjudicio autoritatis vel præcipitantia ageris aut etiam rei ignorantia laboras, facilè errare ac decipi potes. Ubi verè lux veritatis dein oculos tuos perstringit, mutas subinde, uti par est, sententiam atque saniozem tibi mentem, saniora principia induis. Jam, si dein quis tibi dixerit, te mentem tuam toties variare, te aliam subinde in sententiam transire, & falsum esse, quicquid variet, nonne optimo jure ejusmodi hominem ridebis dicisque, nullo ipsi judicio, nullâ rectè ratiocinandi facultate vel voluntate pollere. Et hoc sanè in libro suo, quem refutamus, ubique BOSSUETUS facit. Certè, ubi Lutherum sale perficit, id maximè urget, doctrinam ejus capropter falsam esse, quod toties sententiam mutaverit, quod aliter ab initio reformationis, aliter sequiore tempore senserit. Ficulnea hæc sunt, jejuna sunt. Etenim, sententiam nisi in deterius mutemus, nihil est, quod hîc opponi possit. Quin sanè, qui è tenebris egreditur, non statim totum diem sed diluculum tenebris succedere lucemque sensim sensimque è caligine emergere videt. Nec tamen desinit hæc esse vera lux, quòd tenebræ præcessere, & quòd ea non tota simul oculis nostris illabitur. Dein & sollicitè tenendum est, aliud esse, sententiam mutare, aliud *τρέποναι δόξας* & expressiones saltem, quæ cogitata nostra involvimus, mutare, aliud esse, sententiam mutare in fundamentalibus, aliud in minus fundamentalibus, quæ tamen ipsa mox recurrent.

Obser-

Observatio secunda.

Non omne, quod terminis ambiguis proponitur, falsum est vel falsitatis suspicioni subiacet.*

* Ratio est, quia ambiguitatis aliarum rationes quam falsitas esse possunt. Ita ambiguitas expressionis sæpè ex eo nascitur, quod præcisâ clarâque dictione mentem tuam efferre haud vales. Ita & ambigui termini sæpius adhibentur, ut paci ecclesiasticæ consulas, ubi sanè sufficit, ut is, qui sic sua proponit, sub terminis sanam sententiam indigitatam velit. Imò ita prorsus comparata est linguarum ferè omnium & humanæ dictionis indoles, ut omnis ambiguitas evitari nefciat. Quid itaque, quæso, miserius istâ objectione Bossuetianâ est, falsas esse & damnandas Protestantium confessiones, quòd ambiguarum subinde & æquivocarum expressiones in iis inveniantur.

Observatio tertia.

Ridiculum oppidò est, si duo inter se dissentiant variasque & diversas in sententias abeant, unum cum altero damnare. Qui sapit, dicet potius, sine partium studio hîc dijudicandum esse, à cujus partibus veritas stet.*

* At verò & hoc ipsum probatione non indiget, cum sensus communis quemque hûc ducat, ita ut mirandum oppidò sit, quî fieri poterit, ut BOSSUETUS eapropter Ecclesias Protestantium in genere condemnaverit, quòd in quibusdam articulis inter se eæ dissentiant. Indignum hoc tanto Viro iudicium est.

B

Obfer-

Observatio quarta.

Non omnia, quæ nova sunt, damnanda illicò sunt, cum, quæ jam nova sunt, antiqua esse potuerint, ipsumque illud, quod antiquum est, olim novum esse debuerit, novumque quod est, simul utique & verum esse possit.

* Hæc in primitiis nostris Tubingensibus P. 2. p. 18. dudum diximus. Errat itaque BOSSUETUS, ubi ponit, omnia ea, quæ nova sint, in religione damnanda esse. Vide, quid ajat Hilarius, Patrum acutissimus: *Dic prius, si rectè dici putas: nolo adversum nova venena novas medicamentorum comparationes, nolo adversum novos hostes nova bella, nolo adversum novas insidias consilia recentia. Et post alia: In uno novitas eligitur, in alio submoverur. Ubi impietatis occaso patet, novitas admittitur, ubi autem religionis maxima & sola cautela est, excluditur.* Hactenus Hilarius in libro contra Constantium Augustum, forte in medio.

Observatio quinta.

Rectè observant eruditi, methodum illam disputandi, quâ variatio in doctrinâ pro falsitatis caractere vendatur, Atheis favere, qui soli semper & nonnisi unico illi principio, quo Deum esse negant, inhiant, cæteris, qui religionem fovent, in infinitas sectas, in infinitas sententias abeuntibus.*

Ecce

* Ecce, quomodo rem eferat in præfatione historiæ Ecclesiæ BASNAGIUS: *Que repondroit Mr. de Meaux à un Abbé, qui luy crieroit, tout ce qui varie, est nécessairement faux & qui après luy avoir fait une longue deduction de tous les changemens de doctrine arrivés dans l' Eglise Chrétienne depuis dix-sept ans, luy représenteroit, qu' il n' a qu' un seul principe, sur lequel ni luy ni ses predecesseurs n' ont jamais varié, c' est qu' il n' ya point de Dieu? Je voi, lui diroit-il, des changemens dans toutes les Religions du monde, j' ai lieu de conclurre, qu' elles sont fausses; je nie & j' ai toujours nié constamment l' existence de Dieu. je suis donc le seul au monde qui defens la verité.* Hactenus BASNAGIUS.

Observatio sexta.

Ecclesiam primitivam & antiquiorem in doctrinâ & cultu plurimum variâsse, imò & Ecclesias omnes particulares, Romanam quoque & Pontifices Romanos & Ecclesiæ Patres infinita ferè Symbola & confessione scondidisse ambiguisque insuper expressionibus plurimum indulgisse neminem latet, nisi qui in Historiâ Ecclesiasticâ planè hospes sit. Pertinet hùc historia dogmatum, per omnia secula, per omnes Ecclesias & sectas continuanda. Quis verò dixerit, Ecclesiam propter variationes istas, propter dissensiones istas, propter ambiguitates istas periisse? *

* Et jam in rem præsentem nobis eundem istaque varietates & ambiguitates adducendæ in medium essent. Sed nimis proluxa hæc opera est, quàm ut à nobis jam impendi possit. Certè Concilia Conciliis.

Ecclesia Ecclesiis, Pontifices Pontificibus, Patres Patribus hic opponi possunt. Et militat profectò semper in rebus humanis imperfectio, nec datur sanè Ecclesia, quæ non subinde etiam variaverit. Cùm enim quævis Ecclesia ex hominibus constet, quorum voluntas ambulatoria est, varietas, quæ delectat, non succedere non potest. Unde nec Ecclesia datur, quæ absolute perfecta, absolute vera sit, cùm nulla sit, quæ non fallibilis sit vel actu subinde fallatur.

Observatio septima.

Nulla ferè est Ecclesia, quæ tantoperè in doctrinâ & cultu variaverit, ac Romana.*

* Liquet hoc ex historiâ dogmatum, quæ luculentissima hanc in rem documenta per omnia secula profert.

Observatio octava.

Multitudo symbolorum & confessionum non est criterium variationis vel variationem non semper infert.*

* Sunt enim plures rationes, ob quas nova symbola, novæ confessiones conscribi possunt, ut dogmata clarius & præcisius enarrentur, ut novi errores jugulentur, ut novæ veritates hætenus non ita cognitæ hæc proponantur. Non itaque est, quod multitudinem confessionum Protestantibus objiciat BOSSUETUS, qui meminisse debebat, Ecclesiam veterem immani symbolorum multitudine floruisse.

Obfer-

Observatio nona.

In iis, quæ fundamentum fidei haud destruunt, si qua errat Ecclesia, eapropter alius Ecclesiæ orthodoxæ confortio non excluditur nec falsa est. Tolerandi hîc sunt, ut novimus, fratres infirmi, expectandumque in spe & silentio est, donec major lux succrescat. *

* Jam itaque, si Protestantes in rebus fundamentum fidei haud tangentes inter se dissident, non est, quod objiciat BOSSUETUS, eos ex æquo damnandos veræque Ecclesiæ titulum penitus ipsis denegandum esse. Imò si & in fundamentalibus dissentiant, ea tamen pars calculum adsequetur, quæ veritatem tenet.

Observatio decima.

Paucissimæ sanè sunt, quæ Protestantibus obijci possunt & momentum quoddam secum ferunt, in doctrinâ dissensiones. * Quæ ne præter necessitatem multiplicentur, probè tenendum, diversas privatorum sententias à dissensionibus Ecclesiarum probè distinguendas esse. **

* Res ferè deducitur ad tria illa argumenta, satis utique hætenus trita, de communicatione idiomatum, de prædestinatione absolutâ & gratiâ irresistibili deque præsentia reali corporis Christi in sacrâ cœnâ, quæ controversiæ multum *λογωμαχίας* habent & difficilibus imperfectisque rerum ideis plurimum laborant, imò, si ad simplicitatem fidei reducantur, fumi ad instar evanescent. Vide, quæ alibi hanc in rem diximus.

** Hoc si probè observaveris, multa cadent, quæ BOSSUETUS surget. Ita e. gr. ubi ait, Lutherum mentem suam toties variâsse, nihil contra nos efficit. Privati enim cujusdam variatio toti Ecclesiæ impu-
tari nequit. Per rerum naturam non poterat non aliam subinde men-
tem Lutherus è tenebris Romanæ Ecclesiæ vix egressus sibi induere,
Neque enim semper veritas uno eodemque momento tota nobis
patet. Tempore, investigatione, meditatione multâ opus est. Fingen-
dæ refingendæque subinde sunt ideæ, donec in aurem veritatis portum
introire liceat. Quod ipsum, si & Luthero contigit, ipsius tamen
orthodoxiam adeo non jugulat, ut potius commendet. Et confeci-
mus sanè in nostros usus tabellam quandam, ubi juxta annorum or-
dinem adnotamus, qui Megalander sensim sensimque in cognitione
veritatis creverit.

Observatio undecima.

Aliud est, variare in terminis & expressioni-
bus atque in *τέρας παιδείας*, id quod impunè licet,
aliud variare in re ipsâ. Prius sine judicii defectu
insigni nemini vitio verti potest, *

* Et sanè plurimæ sunt variationes, quas BOSSUETUS Protestantibus
objicit, quæ in nudâ expressionum & *τέρας παιδείας* varietate con-
sistunt. Exempli loco fit locus de Ecclesiâ, ubi immanes varietates
Protestantibus BOSSUETUS objicit, quæ verò saltem *τέρας παιδείας*
spectant.

Observatio duodecima.

Indicium est pessimæ causæ, quod BOSSUE-
TUS haud permittit, ut per retorsionem varia-
tio-

tiones Ecclesiæ Romanæ contra fidem Romanam urgeantur. * Peccat hîc Præsul Meldensis, sibi sic malè conficius contra regulam istam communem: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Nec tamen sola hæc responsio jam nobis sufficit.

* Ita scilicet in præfatione habet BOSSUETUS: *Je demande à nos adversaires deux conditions qu'ils trouveront équitables: la première qu'ils ne songent à nous accuser des variations dans les matières de la foy qu'après qu'ils s'en seront purgés eux-mêmes. Autrement il faut avouer que ce ne seroit pas répondre à cette histoire mais éblouir le lecteur & donner le change.*

Observatio decima tertia.

BOSSUETUS ipsemet ambiguis subinde expressionibus utitur variatque. Ita e. gr. in expositione fidei, quam scripsit, sic rem agit, ut lectori persuadeat, fidem Protestantium à fide Romanâ tantoperè haud abludere. At in libris variationum fidem Protestantium atro planè carbone notat perperamque habet. Ita in expositione fidei, eadem illâ, scripsit, *Missam utique posse appellari sacrificium*, quod ipsum postea in hæc verba mutavit, *nîl impedire, quò minus Missa sit verum sacrificium.* Imò in primâ expositionis editione non exstitere verba

verba hæc, quæ in secundâ jacent, *panem & vinum mutari in corpus & sanguinem Jesu Christi*. Ergò sanè sic BOSSUETUS propria viscera cædit propriumque jugulum petit.*

* Probè hæc notat in præfatione BASNAGIUS. Verba digna sunt, quæ in notitiam eorum, qui Gallicanâ linguam nôrunt, perveniant: *De tous les hommes Mr. de Meaux étoit le dernier qui devoit faire l'histoire des variations. Premièrement l'exposition de la foy devoit être regardée comme l'ouvrage favori de Mr. de Meaux. C'est par là qu'il s'est fait une entrée dans le monde: cependant, comme s'il étoit las de la gloire que ce premier ouvrage luy a procuré, il vient le dévuir par son histoire des variations & nous apprendre que ce livre est extrêmement faux. L'exposition de la foy est remplie des termes ambigus & douteux, qui voilent aux simples les dogmes de l'Eglise Romaine & qui n'effrayent point les Protestans, c'est ce qui en fait l'art & la beauté. Il faut donc qu'elle soit fautive; car c'est une maxime certaine, sur laquelle roule toute l'histoire des variations, que tout ce qui est chargé de termes douteux, est faux, parce que cela marque un terrible embarras que la vérité ne connoit point. Combien des variations dans ce petit livre! On ne voit point ces termes dans la première édition qui fut supprimée: le pain & le vin sont changés au corps & au sang de Jesus-Christ; on fut obligé de les ajouter dans la seconde édition avec le terme de transsubstantiation, qui n'étoit point dans le corps de l'ouvrage. On disoit simplement, que la Messe pouvoit être raisonnablement appellée un sacrifice: mais il a fallu changer cette doctrine conforme à la nôtre & souvenir qu'il ne manque rien à la Messe pour être un véritable sacrifice. Il seroit aisé de marquer une infinité d'autres changemens. Mais cela suffit pour faire voir, qu'on ne doit plus lire l'exposition de la foy catholique, elle est évidemment fautive, puis que son Auteur a varié. Hæcenus & egregie quidem BASNAGIUS, qui & alias BOSSUETI variationes addit.*

Obfer-

Observatio decima quarta.

BOSSUETUS, ubi ad acta authentica provocat, & ea allegat, quorum autoritas ab omnibus haud agnoscitur, quemadmodum e. g. Hospiniani historia sacramentaria, ex quâ plurima depromit, sublestæ fidei à nostris accusatur, & acta quoque ista malè allegat, legulejorum & rabularum ad instar, qui acta partim corrumpunt, partim verba actorum medio è contextu excerpunt atque ita jungunt, ut aliud planè efferant quàm id, quod connexio cum antecedentibus & consequentibus secum fert.*

* Hinc opèrari, ut, quicumque hanc BOSSUETI historiam legit, & fontes simul evolvat, qui ab ipso citantur. Profectò enim, cœcâ fide qui omnia hic admitteret, quæ à BOSSUETO memorantur, perperam rem suam ageret atque in immensum falsitatum barathrum præcipitem sese ageret.

Observatio decima quinta.

BOSSUETUS in historiâ variationum præcipuum finem suum haud ferè attendit. Scilicet tota Reformationis historia est, quam tractat, & cui historiam Waldensium, Albigenisium, Wiclefitarum & Hussitarum quoque adjicit, inspersis
 C pluri

plurimis aliis digressionibus *ἀλλοτριῶν*, quæ ad rem præsentem haud spectant.*

* Est hoc stratagema quoddam polemicum, quo fit, ut libros, quos contra dissentientes scribimus &, qui, si, quæ ad rhombum pertinent, saltem diceremus, admodum graciles futuri essent, spissiores & majores reddamus. Et hoc artificio masculè omninò in historiâ variationum usus est BOSSUETUS. Jam autem hæc omnia penitus patebunt, si in rem præsentem nobis venire aliquando licuerit. Quæ enim in hisce observationibus jam ponimus, ea ferè saltem diluunt, quæ in limine, quæ in præfatione libri de variationibus Ecclesiarum Protestantium BOSSUETUS dixit.

Observatio decima sexta.

Jejunum id est nulliusque planè momenti, quòd BOSSUETUS vitia Reformatorum & quidem maximè LUTHERI tantoperè exaggerat & quòd errores affectuum, in quos iste lapsus subinde est, tantâ cum *ἰμφοδότη* eidem objicit. Ut enim taceamus, eo in sæculo LUTHERUM vixisse, in quo morum rusticitas & barbaries, maximè apud Monachos, utramque paginam fecit, ut & haud memoremus, nullum exstantium vitium Viro objici posse, qui virtutum Christianarum præstantissimarum, qui fidei magnæ, qui precum assiduarum exercitio, qui magno veritatis divinæ propagandæ zelo floruit, habet hîc BOS-

BOSSUETUS, habent hîc Romanenfes, quòd in proprium sinum inspuant videantque id manticæ, quod in tergo est. Percurrant, percurrant Viri præstantissimi Pontificum Romanorum acta, inspiciant Episcoporum, qui apud ipsos vixere, vitas, sollicitis oculis usurpent ea, quæ hodie ab iis, qui Ecclesiæ sidera esse debebant, perpetrantur, & digitum mox ori calamoque frenum injicient & contra LUTHERUM nostrum, Virum præstantissimum ne quidem amplius hiscent. Et verò, uti arbitror, nihil insulsius est atque rationi sanæ contrarium magis, quàm ubi, qui circa veritatem inveniendam occupamur, qui controversias de fide evincerare & evolvere gestimus, ad lites personales, quæ finem nullum habent, dilabimur. Jam enim primùm affectibus sic mens oppletur, ut veritatem videre nulla possit sed ea saltem dein defensum eat, quæ ut defendantur, quæ ut propugnentur, quæ ut ararum & focorum loco habeantur, passionum furor suadet, dein & infinita contra eos, quos odio habemus, quos adgredimur, mendacia finguntur, hominibus, qui honestatem amare & profiteri debebant, indignissima, ubi tamen quisque sibi credi cupit, &, ni, quæ enarrat, credantur, exardescit, denique ipsa res, de quâ vel maximè institui debe-

C 2

bat

bat disceptatio, negligitur & inutili factâ digressio-
 ne controversiæ campus, qui aratro discussionis
 solidæ subigendus erat, incultus jacet. Scilicet,
 ubi sic LUTHERUM adgredimini, quicumque ex
 Ecclesiâ Romanâ adversum nos pugnatis, nos pri-
 mum quidem virum optimum præstantissimumque,
 uti par est, contra vos defendimus ostendimusque,
 calumniarum loco habenda illa esse, quæ commu-
 niter contra ipsum effutiuntur, porrò plaustra Pon-
 tificum, plaustra Episcoporum Romanorum, qui
 impiâ vitâ & conversatione suâ toti orbi christiano
 scandalum creavere, in arenam nostram disputa-
 toriam producimus testesque è mediis Romanen-
 sium castris in rem nostram advocamus, ex quo-
 rum domesticâ adeoque extra omnem falsi suspi-
 cionem positâ depositione pateat, eos illos Pon-
 tifices, eos Episcopos illos fuisse, quales nos de-
 pingamus & atro carbone depingamus. Itane ergo
 hâc vestrâ agendi ratione vel hilum proficitis?
 Dicite, qui sapitis, & exponite, num consultum
 hoc sit, vetulas imitari, quorum hoc est, convi-
 tiis sese proscindere, veteresque historias,
 odiosas illas, & antiqua facta recoquere & per to-
 tam diem in criminationes diffundi solique & lu-
 næ delicta eorum, quibus malè cupimus, enarra-
 re?

re? Nonne fatius est, arma hæc, quæ lignea sunt nullique usui apta, ponere aliumque pugnandi inire modum, qui magis conveniat, qui animos haud irritet, qui ad veritatem expiscandam magis idoneus sit, qui controversias rectè evisceret, qui ad solidam rerum enodationem nos manu quasi ducere possit? Ast ponamus vel tandem, ponamus id, quod tamen longè falsissimum est, LUTHERUM immanis impietatis horrendæque morum pravitatis reum esse. Itane ergò inde consequitur, fidem nostram, quam is ex sacris literis restituere cœpit, itidem quoque pravam esse. Quæ, qualis, quanta consequentia? Itane ergò, qui pravis moribus laborat, nullas veritates divinas proponere novit? Apage insulsum ratiocinium! Quid est, quæso, delirare, si hoc non est, ubi à pravitate docentis ad falsitatem eorum, quæ docentur, concluditur? Religio certè ipsa ex malâ eorum, qui eidem adhærent, conversatione nullam maculam contrahit. Aliàs de Ecclesia Romana ipsa, aliàs de religione Christiana in universum actum esset. Sed heic quidem dissertationi huic nostræ umbilicum imponit us.

EPILOGUS.

IAmigitur, ut observationes hasce generales ponimus, viam ad refutandum BOSSUETUM, ad diluenda, queis nos adgredimur, argumenta satis superque sternimus. Nihil profecto jejunum magis, nihil miserius est, quàm ubi falsis principiis, que tanquam certa & indubia supponimus, incauti innitimur. Et verò BOSSUETUM, Virum summum hoc errore heic occupari, luce clarius, uti arbitramur, patet. Certè si falsa illa principia generalia, que ponit, & que nec demonstrat nec demonstrare potest, destruxeris, tota libri moles illicò ruet. Uti in adificio contingere solet, ubi fundamento subtrato cetera sequuntur. Itaque ergò, ubi in Theologiâ polemicâ rem acutè tangere volueris, & iudicio primum, ubi, qui ad prima rerum principia surgis nihilque, quod demonstratum haud sit, admittis, continuam ratiociniorum certiorum demonstrationumque evidentium catenam formas remque sic probè & sine partium studio dijudicas, deinde attentione & diligentia haud superficiali, quâ in mentem adversariorum descendis eamque exactè capis, florere debes. Si dein historiam dogmatum, si thesin fidei, si vel maximè, quod theologiam polemicam anti-Romanensem spectat, historiam Reformationis universalem probè noveris, res profecto tibi benè haud succedere nequit, opusque planè haud erit, ut in refutando BOSSUETO tibi sudor ad talos desuat. Et verò, ubi largius nobis tempus aderit, cum omnibus iis librorum subsidiis, que ad refutandum BOSSUETUM requiruntur, probè instructi simus, operam dabimus, ut, que in hoc de variationibus Ecclesiarum Protestantium opere nobis is objecit, prorsus humi sternantur & in fumos abeant.

FINIS.

PRÆSES
RESPONDENTI SUO

S. P. D.

Qui hætenus insignem operam studiis tuis adfudisti & ingenio insuper feliciore gaudes, *Clarissime Domine Magister*, jam quoque & hæc laudem abs me ut repositas, convenit, quòd publico quodam specimine, quid valeant humeri, demonstratum dare cupis. Et verò, ubi argumentum dissertationis quoddam à me nuper desiderasti, qui de bello inter sacerdotium & imperium olim temporibus HENRICORUM agitato theologicis quasdam observationes, ubi à communi sententia abludo, defendendas tibi daturus eram, quum conspexi, periculo cuidam ea, quæ meditatus eram, subjacere eruditosque, qui firma hæc principia sibi formavere, nondum hæc capere posse, consultius fore existimavi, si aliud quoddam argumentum in manus sumerem atque sub incudem scriptionis meæ vocarem. Et hic quidem primùm menti meæ sese obtulit argumentum illud de variationibus Ecclesiarum Protestantium, quod inter Romanenses vel maximè BOSSUETUS, Episcopus olim Meldensis evolvit & adversum nos urfit. Scilicet, cum *dissertationes Anti-Bossuetianas* dudum promiserimus Virique præstantes plurimùm à nobis desiderant, ut huic opellæ manum admoveamus, ubi largiorem eidem industriam nondum

nondum affundere possumus, certe prodromum saltem quendam jam dare, ex quo, quæ exposituri latius sumus, prægustari tantisper possint, è re esse censuimus. Hunc verò prodromum, ubi tu nunc defensum is, *doctissime Domine Respondens*, studio huic tuo atque fervori, quo flagras, non adplaudere haud possumus. Quod dum facimus, publico heic specimine declaratum damus, nobis, qui irenicam Theologiam aliàs miris modis exosulamur, polemicam tamen adè non sordere, ut cum tripudio subinde etiam in illius campum transeamus. Etenim controversiæ aliæ irenicâ, polemicâ aliâ ratione eviscerandæ sunt, non quòd veritas quædam divina detur, quæ negligi, quæ direptioni relinqui possit, sed quòd & plurimæ lites de vocibus saltem agitentur & magna aliarum pars tantum in salutem influxum, tantum momentum haud habeat. Jam illas controversias, quæ cum Romanensibus nobis intercedunt, maximum rerum momentum secum trahere luce clarius patet. Nulla heic pax quaerenda, nullus dissensus tolerandus, sed animi per veritatem claram propositionem convincendi & propugnacula, quæ contra veritatem divinam ab adversariis erecta fuere, forti manu diruenda atque destruenda sunt. Benè itaque prudenterque agis, *Clarissime Domine Magister*, quòd hanc in arenam deduci te abs me pateris, ubi pro veritate divinâ pugnare causamque veræ religionis defendere pulchrum est. Adsit verò, precor, porrò Spiritus sanctior tuis conatibus atque studiis tua præclara atque præstantia divinâ luce suâ amplissimâque benedictione ex alto coronet, talemque te reddat, qui insigne rei sacræ & Ecclesiæ emolumentum aliquando adferre præmiumque rerum benè sic gestarum olim in beatâ æternitate, ad quam adspiramus, lætus reportare possis.

Vale. Dedi è Musæo Nonis Juliis

A. MDCCXX.

1459 10 (1)

ULB Halle 3
003 259 463



Sb.

R







JACOBUS BENIGNUS BOSSUETUS,
EPISCOPUS OLIM MELDENSIS GALLUS,
UBI IN LIBRO

DE
**VARIATIONIBUS
ECCLESIARUM PROTE-
STANTIUM**

GENERALE HOC PRÆJUDICIUM CONTRA PROTESTANTES
URSIT,

REM ACU PLANE NON TETIGIT,
NEC VIDIT, MANTICÆ QUOD IN TERGO EST.

DISSERTATIONEM HANC POLEMICAM
SUB PRÆSIDIO

*VIRI MAGNIFICI REVERENDISSIMI QUÆ,
DOMINI*

**CHRISTOPHORI MATTHÆI
PFÄFFII,**

S. THEOL. DOCT. ET PROF. PUBL. PRIMARIJ,
ACADEMIÆ TÜBINGENSIS CANCELLARIJ
ET ECCLESIAE PRÆPOSITI

atque hoc ipso tempore **RECTORIS**

AD DIEM JULII MDCCXX. DEFENDET

JOANNES CONRADUS BECK, Gœppingensis,
Philosophiæ Magister & sacrarum literarum in Ill. Stipendio
Studiosus,

TÜBINGÆ, literis JOSEPHI SIGMUNDI.